

Gratulor ergo pium lætus generum tibi: Cernas
sæpius utq; precor.

Natorum natos. O sancta TRIAS tibi sint, hæc
vota parata, rata,

I I.

NOVIS CONJUGIBVS.

AUCEPS insidias avibus molitur avarus,
Gaudet &, innumeris quòd scit obesse modis.

VENATOR Jove sub gelido, si in retia rumpit,
Gaudet, aper sævus, cerya agitata, lupus.

PASTOR, in hybernæ glaciali tempore brumæ,
Gaudet, posse sui claudere septa gregis.

Curvus ARATOR, humo mandans sua semina putri,
Gaudet, nunc fessos dissoluisse boves.

Rusticus, acer EQUES, labor ut cessavit equorum,
Caudet, quòd frenis fingere possit equos.

TU verò AFFINIS, TU nunc *lætare* magis, quām
AUCEPS, VENATOR, PASTOR, ARATOR, EQUES,

Nam venit, ecce venit, tota quam mente petisti,
Intrat & in thalamum, Nympha pudica, tuum.

Id circò vobis NEONYMPHIS grator; ab imo
Fundens ardentes pectore & ore preces,

Ut vos unanimis summus conjungat JÖVA,
Vivatis Saræ, Nestoris atq; dies.

Provida